

5

DE
TYPHO CONTAGIOSO
DISSERTATIO,

C U J U S F A R T E M Q U I N T A M
V E N I A E X P E R I E N T I S S . F A C U L T A T I S M E D I C Æ A B O Æ N S I S

P U B L I C Æ C E N S U R Æ S U B J I C I U N T

I S R A Æ L H V A S S E R ,

M E D . , D O C T . , C H . M A G . , M E D . P R A C T . , P R O F E S S O R P . & O . R E G I I
C O L L E G I Æ S A N I T A T I S H O L M I E N S I S M E M B R U M .

Z Y

J O H A N N E S T E N N B E R G

S T I P E N D I A R I U S P U B L I C U S S A T A C U N D E N S I S .

E N A U D I T . M E D I C . D I E XI M A R T I I M D C C C X V I I I .

H . B . M . S .

A B O Æ

E X C U D R E A N T J . C . F R E N C H E L L E T F I L .

nus excitentur & stagnent, vaporibus mephiticis, nec omissis, quæ eosdem destruant, auxiliis, diligenter curetur, ut purus & salubris conservetur circa hominem aër. Quæ hunc in finem adhiberi possunt, subsidia, ad exponendam, quam sibi postulat febris typhodes, curationem prophylacticam pertinent. In præsenti breviter monuisse sufficiat, hanc curationis partem diligentissimam sibi vindicare medicantis vigilantiam, curamque maxime alioquin assiduam, si hæc una negligitur indicatio, irritam de ceteris jacere. Altera, quæ ad universum spectat, indicatio hæc est, ut morbum secundum eum astheniæ vel hyperstheniæ gradum cures, quem heic ex principiis ætiologicis vel semioticis ponendum putares. Pathologi, qui ex illo charactere ipsam morbi esentiam explicare posse sibi sunt visi eamque aut in asthenia universali aut in prævalente inflammatoria cerebri conditione positam voluerunt, eas tradiderunt curandi vias, quæ, si nimis persequeris studio, nisi in perniciem ducere nusquam possunt. Quamvis hyperstheniæ illud vel astheniæ ingenium, quod induere morbum quemque videmus, ex sua cujusque ægrotantis constitutione pendeat, indicationesque, antiphlogisticæ vel incitantem curandi rationem jubentes, sic revera non nisi in casu, ubi omnes ad characterem statuendum necessariæ suæ cujusque conditions cognitæ sunt, ratae haberi possint, attamen non est, siquidem sine partium studio perpendiculariter typhi decursus, infinitas eundum, eum in universum posse, quoties nulla majoris momenti anomalia incidit, quantum ad vim symptomatum apparentem attinet, in dua describi stadia, quorum prius, magna systematis vascularis irritatione insignitum. debilitatem aut admodum passivam solum curandi rationem requirit, posterius autem ob graviorem, qui tum accedit, systematis nervosi affectum incitantum remediorum necessariæ

cessitatem adfert. Primo febris stadio semper nocent stimulantia, quid? quod ne constitutioni quidem maxime asthenicæ profunt, sicut in posteriori morbi periodo vel robustissima corpora male habet methodus antiphlogistica. Quum igitur curationem ex incitante & debilitante methodo compositam poscat febris typhodes, probe tendendum est, ambas has, quatenus intendendæ & extendendæ sint, e sua cujusque constitutione pendere.

Antiphlogistica febris in primo stadio curatio intra hoc circumscripta verlati debet, ut æger ab omni defendantur stimulorum influxu, qui systematis vascularis irritationem augere posset; ut potius detur dilutum aliquid & mucilaginosum cum addito pro re nata succo acidulo, tamarindis & quæ his sunt similia, atque ut eccoproticis & leniter laxantibus parva portione datis soluta sit alvus. Quamvis majori saepe incremento aucta videatur systematis vascularis actio, neutquam tamen inde impulsus recte descendes ad periculum remediiorum, quæ absolutorem debilitandi vim possideant. Scilicet his raro opus erit, si magis præcipua, quæ in hoc stadio indicata nos jam supra posuimus, remedia adhibentur, facileque usus eorum in gravem abibit perniciem, quum systemati vasculari sic ea præcipiat agendi vis, quæ in posteriori febris stadio est ad criticam ejus actionem necessaria. Propter deficitem efficaciam innocentius quidem esse videtur nitrum, cuius tamen usus, quum vicem fatis adeo suppleat murias hydrargyrosus haud inepte habetur in typho supervacaneus nec, quamvis falla sine dubio sit, qua idem insimularunt, sanguinem dissolvendi & humores putrefaciendi criminatio, immerito putatur stomachum præter necessitatem obruendo & dibilitando perniciosum in febrem exaserbere effectum.

Ratio.

Rationibus, quarum in sequenti mentio fiet, impellentibus, cum fructu nonnumquam adhiberi possunt putgantia, quæ tanto partium studio commendavit Hamilton, sed ut directe debilitantia numquam tuto arripiunt, quoniam humores in tubum intestinalem derivando eumque debilitando in avia deducunt critica naturæ molimina &, quod in posteriori febris stadio periculosissimum accidere potest symptomata, alvi ad diarrhoeam propclivitatem augent.

Detractio*n*es sanguinis universales. Hoc tanti momenti & a multis tantopere collaudatum remedium æstimaturis probe tenendum est, heic de normali tantum typhi forma agi, non de ea anomalia, ubi naturam febris mutarunt inflammationes locales. Quantumvis in hoc demum casu necessariae sint venæ sectiones, perraro tam en in illo ad heroicum adeo subsidium contagiendum esse videtur. Multoties quidem profusse prohibetur, quum vero id, credo, non nisi constitutionibus hypersthenicis contigerit, utique non est, quod ex singulari casu perpetuum statuatur præceptum. Nec in typho, quamdiu locali affectu nondum se prodidit inflammatoria conditio, alia esse potest hujus medicinæ indicatio rationalis, quam a localibus ejusmodi inflammationibus præcavere, nec alias igitur incidit, nisi quoties e constitutione dominante, ex ingenio epidemiarum aut phlogistica ægrotantis diathesi justa na catur causa, cur istam decursu febris aberrationem timeas. Quas vero aliis in casibus audeas, detractio*n*es sanguinis, ut detumeat systematis valcularis irritatio, certa semper molientur pericula. Quando robusti corporis hominem e typho febricitantem curaturo tibi causa subest, cur emetica dare velles, sed ne hæc inflammatorum cerebri statum excitent, caute times, recte

recte tum venas ante secabis, sanguinem pro constitutio-
ne hominis detracturus. Neque tamen ad lecandas venas
tuto umquam descenditur, nisi maxima adjuncta cautio-
ne. Quamvis vel nulli difideremus veritati prosperiorum
hujus medicinae effectuum, quos ad suas theoriam
explicandi rationes stabiendas jactant recentiores quidam
auctores, admodum tamen pauci sunt ejusmodi calus, si
ad frequentiores spectamus, qui perniciolum ejus abusum
testantur.

Transit plerumque septimo vel nono die febris ty-
phodes, ut supra monuimus, ex inflammatorio in nervo-
sum stadium. Minuta jam systematis vascularis irritatio-
ne & vehementia, laesi systematis nervosi symptomata,
quaे urgent, antiphlogisticae curandi methodo repugnant,
stimulantium e contrario usum postulantia. Posunt igit
ur in hoc stadio præter vesicatoria, camphoram & arni-
cam, quorum supra mentionem fecimus, alia etiamnum
stimulantia cum fructu adhiberi, qualia sunt rad. valeria-
næ, angelicæ, serpentariæ, senegæ, tum etiam naphtæ,
ammonium & phosphorus. Inter alia in hoc stadio re-
media excellens eminet melioris nota vinum, cuius salu-
tarem effectum expertus testatur unus fere quisque medi-
cus. Quæ propinanda est, hujus medicaminis quantitas
in totum statui non potest, quippe quam debilitati, quam
indican symptomata, & suæ cujusque conditioni & con-
suetudini sit accommodanda. Ut in omnibus stimulanti-
bus, sic in hoc quoque adhibendo necesse est, ut ad au-
ctam vel minutam systematis vascularis actionem attente
respiciat medicus, ne stimulatione justo minori nec ma-
jori detrimentum inferat.

De opii in typho utilitate dissentient auctores. At in universum saltim nocere putant plerique. Ad ultimos febris dies restrictum voluit Sydenham, ante duodecimum ad idem decurrere vetans. In eandem sententiam loquuntur Huxham, Butlerius, Stoll, v. Hildenbrand & Brandis. Majus autem in curanda febri typhode opio pretium statuerunt Cullen, Campbell, Ettmüller & Störk. Quando idiopathicus cerebri affectus stupido manifestatur statu delirioque musitante, nec ulla majoris erethismi symptomata adfunt, in pejus semper ruere hunc affectum, si adhibetur opium, sobria testatur experientia; infirmiori autem corporis constitutioni, cui magna subest nervorum irritabilitas, vel majoribus portionibus datum proderit opium, nec raro unicum supererit præsidium, ex quo ulla sperabitur salus. Sic quando decimo quarto die non quiescit febris, sed pergit ulterius in symptomata debilitatis & irritabilitatis, tum quoque erit, quod ad majorem irritabilitatem minuendam efficax illud remedium arripias.

Cortice peruviano & remediis, quæ huic similem habent efficaciam, sive tonicis admodum perniciose sunt in curando typho abusi. Quæ quum, ut in corpus efficaciam exferere possint, certam semper ab organis, quibus digeritur & concoquitur cibus, agendi integritatem requirant, quæ vero in febribus continua & remittentibus saepissime desideratur, quumque semper indicent symptomata typhi, magis minusve esse hæc organa affecta, certe satis subest causæ, cur horum medicaminum usum ad convalescendi tempus reservatum velimus, ubi demum ad perfectam sanitatis & virium restitutionem non dubitanda excellere videntur virtute. Status ille quasi subinflammatorius, in quo sub posteriori febris stadio versatur

tur ventriculus & tubus intestinalis, & qui punctionibus abdominis & tactus impatientia cum aliqua ad diarrhoeam proclivitate manifestatur, non potest non omnibus augeri ingestis, ad quæ juste mutanda & assimilanda vires deficiunt organa digestionis, quamobrem etiam tam alimenta quam medicamenta tonica minus idonea sunt æstimanda, quæ in typho curando adhibeantur.

Adjutrice arte iis succurrere symptomatibus, quæ e spontaneo naturæ molimine cum minuta febris vehementia ut effectus provenire videntur, tertia demum est indicatio generalis, cui in typho curando satisfacere debet medicus. Quod spontaneos sub ineunte febri vomitus sequitur, levamen medicis cauam attulit, cur emetica aut sub stadio prodromorum aut in veræ febris initio mox post finitam frigoris accessionem adhibuerint. Si forte gastricus cum febri complicitus est status, magis etiam elucet, quæ in hoc casu dantur, emeticorum adeo ab omnibus probata utilitas Præcipuum, ut jam diximus, in idiopathicum cerebri affectum vim exserunt, cutis adjuvant actionem, & prophylacticam habent testante Sydenhamo efficaciam adversus colliquativam illam diarrhoeam, quæ in posteriori febris stadio accidere aliquando solet. Quatenus igitur nulla in sua cujusque constitutione ratio subsit, quæ emetica prohibeat, semper ad eadem est confugiendum. Quod si justus habetur ex phlogistica ægrotantis diathesi & plethora timor, ne quid detrimenti afferat sanguinis ista in caput congestio, quæ vomitum comitari solet, melius consultum erit, si ante emeticum non nihil detrahitur sanguinis.

Quarto die erumpit, ut supra diximus, proprium febris exanthema, quod critica interdum sequitur epistaxis,
ex qua

ex quibus non nihil minountur urgentia affecti capitis symptomata. Sudorificis, quæ dicuntur, & vesicatorii eruptionem exanthematis adjuvare, valde perniciolum est nec umquam tentandum. Quod si magna sanguinis congestione caput urgente nulla appareret epistaxis, tum locali sanguinis detractione, admotis aliquot ad tempora hirudinibus, vicem ejus supplere, præceptum erit, cui diligentius certe debebitur obsequium. Inter remedia autem, quæ a stadio febris indicata eum in finem adhiberi possunt, ut eruptum adjuvetur exanthema, efficacissimas probavit experientia frigidas ex aqua perfusiones.

Decurrente vero jam nervoso febris stadio, ad reliqua symptomata temperanda salutare momentum habebit, si æquabilem semper servas cutis actionem, quare calidius etiam operimentum, calida balnea, & quæ supra commendavimus, remedia, qualia sunt camphora, vesicatoria & molchus multum quantum conferunt ad levanda, quæ urgent, symptomata crisimque febris promovendam, sub qua largius propinandi sunt potus tepidi. Quod decimo & decimo quarto die advenientes foetidarum faciem exonerationes sequitur, levamen, ut eas laxantibus promovere voluerint, multos impulit; quamvis autem in uno vel altero casu prospere forsitan cescerit ista naturæ subyenendi seque ad nutum ejus accommodandi sedulitas, præmonendum tamen videtur, ne quis perpetuum inde sibi sumat exemplum. Difficultas, in quam incurrimus accurate præscripturi, quatenus demum ad has exonerationes perficiendas stimulo arte facto opus habeat tubus intestinalis, perculumque, ne stimulo illo adventitio majores efficiamus dejectiones, quam quas in hoc stadio pati possunt corporis febri typhode satis imminutæ vires, discriminis vix evitando subjiciunt hoc curationis præceptum,

septum, nec dubito, siquidem in primo febris stadio non omiseris, ut par fuit, statum respicere gastricum, qui cum febri nonnumquam complicatur &, utsimque fuerit, ecoproticis & clysteribus solutam servaveris alvum, quin tum futurus sit in posteriori febris stadio laxantium ad molimina critica adjuvanda usus supervacaneus.

Quibus in concreto nonnumquam induita apparet febris typhodes, formæ a norma aberrantes. ob diversam, qua dissident, naturam a normali typhi forma diversam sibi poscunt curationem. Quando veris inflammationibus accensa sunt viscera, necesse est, ut ex toto adhibeatur methodus antiphlogistica. Venæ sectiones universales & locales, purgantia & alia remedia antisthenica, quæ in normali typhi forma curanda raro sunt idonea, profunt heic omnia. In nervosa autem typhi anomalia temperatores esse debemus in antiphlogisticis in universum, muriate hydrargyroso & frigidis perfusionibus, liberiores contra in incitantibus. Prävalente vero systematis gastrici affectu, necesse est, ut cum remediis, quæ præcipue sibi poscit febris typhodes, methodum eam antigastricam conjungamus, quæ pro ingenio status gastrici aptissima videatur; neque tamen minus necesse est, ut in propria affecti tubi intestinalis curatione, quantum par est, respiciamus, quæ hunc inter & reliqua febris symptomata intercedit, causatum & effectuum rationem. Adversus eam typhi anomaliam, quam status putridi symptomata insigniunt, acidorum mineralium efficaciam comprobavit multorum annorum experientia. Acidum vitrioli vulgo adhibuerunt; majores autem vires acido muriatico tributas volunt Meijer & Reich, quod ad diarrhoeam colliquativam imprimis utile momentum habere contendunt. Magnæ quoque core, kinkinæ portiones commendatae sunt, quamvis ob causas, quas

quas supra posuimus, in hoc quoque casu non omni sa-
spicione caret ejus efficacia. Symptomata febris licet
iis potissimum remediis leniantur, quæ ingenio morbi &
rebus circumstantibus in universum accommodata sunt;
attamen non est reticendum, plurima eorum tanta inter-
dum vi intendi, ut singularem sibi vindicent medicantis
attentionem peculiaremque poscant curationem. Indica-
tionibus his mitigatoriis seu, quæ dicuntur, palliativis ita
accommodanda est curandi ratio, ut tamen in partiali ista
symptomatum cora eam adhibeamus prudentiam, ne quod
in hunc finem faciendum judicemus, generalibus, quæ
ex ingenio morbi prodeunt, præceptis officiat. Quæ præ-
cipuum postulant medici attentionem, symptomata sunt
vigilæ, sopor, delirium, convulsiones, hemorrhagiæ,
parotides, decubitus, vomitus, diarrhoea, obstructio alvi
& meteorismus. Remedia, quæ ad hæc symptomata mi-
tiganda felici successu adhiberi possunt, a plerisque jam,
qui hanc materiem tractarunt, auctoribus sunt allata:
unde supervacaneum mihi videtur in hoc opusculo, quod
angustioribus circumscriptum volui limitibus, singulatim
omnia recensere præcepta, quibus symptoma quodque eu-
raturi præcipua obsequi debemus attentione.

Peracto tandem febris typhoidis decursu, raro recidiva
timenda. Facile quidem graves convalescentium errores
novam excitant febrem, at novam plerumque hac tum
induit indolem, scil. si perfrixerit homo, rheumaticam,
si gulæ indulserit, gastricam & quæ sunt reliqua. Præte-
rea in dubium non vocamus, quin ingrata potissimum a-
nimi pathemata morbum interdum revocare possint. In
regimine dætetico, quod constitutioni corporis & rebus
circumstantibus accommodatur, tota sèpissime verlabitur
convalescentis cura. Ad sanitatem vero perfectam maxi-
me

me confert, quod cibos nutrientes, qui facile concoquuntur, parcus sed saepius sumat homo cum modico vini aut fortioris cerevisiae usu, quin etiam infusum cort. Kinakinæ, si hoc svaletit major debilitas, est hora quadam matutina propinandum. Huc pertinet etiam rusticatio, hilare amicorum consortium, vitatis rebus, quæ animum vel ingrate afficiant vel attentionem ejus nimis intendant, viribus accommodatus corporis motus, balnea tepida & accurata mundities. Quæ interdum, superato morbo, supervent, symptomata molesta, qualia sunt dyspepsia, variii generis profluvia, sensuum externorum imbecillitas, affectio pectoris, tarda ulcerum a vesicatoriis & decubitu sanatio c. c. iis impugnanda sunt remediis, quæ sua cuiusque conditio facile indicabit.
